



# LIBRARIES

UNIVERSITY OF WISCONSIN-MADISON

## **Alchymiae complementum et perfectio, seu, Modus et processus argumentandi : sive multiplicandi omnes lapides & elixera in virtute ....**

Norton, Samuel, 1548-1604?


Francofurti: Typis Caspari Röteli, Impensis Guilielmi Fitzeri, 1630

<https://digital.library.wisc.edu/1711.dl/U4KCEMRY3D4QO85>

<http://rightsstatements.org/vocab/NKC/1.0/>

The libraries provide public access to a wide range of material, including online exhibits, digitized collections, archival finding aids, our catalog, online articles, and a growing range of materials in many media.

When possible, we provide rights information in catalog records, finding aids, and other metadata that accompanies collections or items. However, it is always the user's obligation to evaluate copyright and rights issues in light of their own use.



1240

K4

20 pp	3	bullysize	plates
16 pp	3	"	"
16 pp	2	"	"
16 pp + blank	1	"	"
12 pp	1	"	"
24 pp	3	"	"



The Library


of the



University of Wisconsin

The Alchemical Collection  
of  
Denis I. Duveen

✻  
Purchased 1951



ALCHYMIÆ COMPLEMENTUM, ET  
PERFECTIO

SEV

MODUS ET PROCESSUS  
ARGUMENTANDI, SIVE  
multiplicandi omnes Lapides, & Elixera in virtute, sive  
qualitate, & etiam in quantitate, unà cum  
projectionis via.

*Olim à*

SAMUELE NORTONO BRISTOLLENSI  
INCHOATUS

*Nunc verò*

AB EDMUNDO DEANO ANGLO MED. D. ME-  
dico Eboracensi auctor & perfectior editus.

*CVI ACCESSIT EXPLANATIO INTENTIONIS  
Philosophorum, cum de decimo loquuntur numero, in quo Opus finiri debet:  
in qua etiam miraculosum ostenditur Secretum Lapidis animalis  
ex sanguine humano secundum Georgium  
Riplaum.*

Denuò adjuncta est Conclusio libri, omnibus sex Libris Alchymicis  
prius à nobis editis, æquè ac huic, inserviens

TERENTIUS.

*Æquum est ignoscere, quæ sine reprehensione veteres factitarunt, si faciant novi.*

I D E M

Eum esse quæstum in animum induxi maximum, quàm maximè  
servire vestris commodis.



FRANCOFURTI,  
Typis Caspari Röteli, Impensis Guilielmi Fitzeri,  

---

Anno M. DC. XXX.

Rare  
Duvée  
D12

121

121

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*



**TABULA SIVE RAMVS ARBORIS PHILOSOPHI-**  
*ca de processu augmentationis Medicinarum, seu Lapidum tam  
 in virtute, quam per fermentationem, explanans etiam modum &  
 ordinem augmentandi omnia Elixera in virtute, & in quan-  
 titate, nec non projectionis viam edo-  
 cens.*

**TU**, quisquis es, siue fili, siue frater, siue lector, cui fors erit nostros  
 sex libros Alchymicos prius editos perlegere, nobis fidem adhibe,  
 atque crede, quod omnia ea, quæ in eis scripta inuenies, aut sunt omni-  
 um scriptorum approbatissima scripta, ex iisdem collecta, aut nostra  
 experimenta certa. Nam multa probavimus, & multa verissima in-  
 venimus. Non vivit mortalium quisquam, equidem credo, qui ma-  
 jores noverit præparationum modos, qui ab omnibus ferè Philoso-  
 phis celantur. Nam quod grossum perficit, & terminat opus, id ce-  
 laverunt omnes, scilicet corporum, seu metallorum calcinationem, <sup>Opus gros-  
sum.</sup>  
 solutionem, & elementorum separationem: unde omnium laboran-  
 tium in hac arte oritur error.

Nam postea conjungere, putrefacere, siue in sulphur reducere, <sup>Philosophi-  
cum.</sup>  
 sulphur in Lapidem præparare, fermentare in Elixer, augmentare in  
 virtute, & in quantitate est solummodò opus Philosophicum, de quo  
 tota Philosophorum turba cursu continuato scripsit.

Sed notandus est benè diversus in hac arte operandi modus; e-  
 xempli gratiâ; productio, seu creatio sulphuris albi semper fit in bal-  
 neo; sed ejus rubificatio fit in cineribus, & sic de aliis multis.

Quapropter in omni operatione Alchymicâ necessarium est, ut  
 Operator benè, & subtiliter intelligat differentiam artis, & naturæ, &  
 quæ sunt absolutæ horum periodi.

Quorum naturalis Archæus, & mineralium periodus est, ut ex <sup>Archæus ter-  
ræ naturalis.</sup>  
 Mercurio imperfecto, ac impuro, & sulphure imperfecto, ac impuro



metalla in terræ cunabulis producerentur, siuè puriora ea sint, siuè impuriora; in maiore climatū caliditate Sol, & Luna, aurum scilicet, & argentum; & in frigidioribus climatibus cætera quinque imperfecta corpora, secundum uniuscujusque climatū varietatem, & loci, calorisque proprietatem, & graduationem.

Archæus artis  
supernaturalis & metaphysicæ.

Sed supernaturalis, & metaphysica artis potestas, & secretæ Philosophiæ Archæus est super terram artificiali quodam modo ex Mercuriis, & Sulphuribus puris è terreis corporibus extractis puriora componere corpora, nempe aurum & argentum, & cum eis Medicinam vitæ, & quintam Essentiam, sanantem omnes morbos, & languores microcosmi. Sed ad inceptum properemus.

Quoniam verò in unoquoque ferè Ramo prædictorum librorum de via projectionis, & augmentationis locuti sumus, ut eorum Ramus quivis sine quovis dubio, ac cum plurimo intellectu prætereat, idè ea jam explanabimus, & enucleabimus, quàm apertè poterimus, ut omnibus eis Ramis, & opusculis æquè inserviant.

Augmentatio Medicinæ in virtute.  
Raymundus.

Primum itaque possidebit locum augmentatio virtutis, siuè qualitatis: de qua Raymundus sic dicit: Augmentum in qualitate & bonitate est ipsam tincturam solvere, & coagulare, hoc est, Mercurio nostro imbiberè.

Arnoldus.

Sed attentius attende Arnoldum: Recipe, inquit, tincturæ præparatæ partem unam, & solve in tribus partibus Mercurij nostri. Deindè pone in vase, & sigilla vas, & pone inter cineres calidos per totum, ut supra expressum est, donec exsicceretur, & pulvis fiat. Deindè aperi vas & iterum imbibe, & exsicca, ut supra. Quoties enim hoc pluries feceris, toties aliquas partes lucraberis, & ultra tinget.

Ex clangore Buccinæ.

Ac etiam ut reperitur in clangore Buccinæ: Dissolves Medicinas in aqua Mercurij sui albi, vel rubei, ex quibus fuerunt procreatæ, quousque fiat aqua clara; & postmodum congeles, & cum suis oleis inceres eas super igne, quousque fluant. Cerrè sua virtus erit duplicata in tinctura cum suis perfectionibus: quia pondus, quod projiciebatur super duo millia; & in ista multiplicatione non est magnus labor.

Multiplicatio Medicinæ duplex.

Iterum (inquit) multiplicatur Medicina dupliciter: Solutione caliditatis, vel solutione raritatis. Solutione caliditatis est: ut accipias  
Medi-

Medicinam in vase vitreo impositam, & eam sepelias in igne nostro humido 7. diebus, vel amplius, donec Medicina solvatur in aquam sine turbulentia. Solutione caliditatis.

Solutione raritatis: ut fumus vas vitreum cum Medicina, & suspendatur illud in olla nova ænea, cujus orificium sit strictum, in qua bulliat aqua, & orificium sit clausum, ut ex vapore aquæ bullientis, ascendente vapore, solvatur Medicina. Solutione raritatis.

Sed nota: quod aqua illa bulliens non tangat vas vitreum in quo est Medicina per spacium trium digitorum, & solutio fit fortè uno die, vel duobus aut tribus.

Postquàm ( procedendo inquit idem author ) Medicina fuerit soluta, aufer ab igne ad refrigerandum, fixandum, & congelandum, indurandum, vel desiccandum, & solvatur pluries: nam quantò plus resoluta fuerit Medicina, tantò perfectior erit. Et talis solutio est Medicinæ subtiliatio, & virtualis sublimatio. Quæ quantò plus reiteratur, tantò abundantius, & plures tingit.

Unde dicit Rhafis: Non dependet hujus bonitas multiplicationis, nisi in multiplicatione reiterationis, sublimatione, & fixatione Medicinæ perfectæ. Quia quantò plus hujus complementi ordo reiteratur, tantò illius exuberantia magis operatur, & augmentatur. Nam quoties magis solitò sublimaveris Medicinam perfectam & solveris, toties lucraberis omni vice ad projiciendum, unum pondus super mille. Et si primò cadet super mille, secundò cadit super decem millia, tertio super centum millia, quartò super mille millia, & sic in infinitum. Rhafis.

Dicit enim Morienes Philosophus. Scitote pro certo, quod quantò plus solvitur Lapis noster, & congelatur, tantò plus Spiritus & Anima conjunguntur, & retinentur ab ipsis, & qualibet vice tinctura multiplicatur. Morienes.

Alio modo multiplicatur Medicina per fermentationem; & est fermentum ad album Luna pura; & fermentum ad rubeum, Solpurus. Projiciatur ergò una pars Medicinæ super duas fermenti ( nos dicimus tres Medicinæ partes super unam fermenti ) & totum erit Medicina: & ponatur in vase vitreo super ignem, & claudetur sic, ut aer non intret nec exeat, & servetur, & regatur, & subtilietur, quoties vo- Multiplicatio Spiritua-  
lis per fer-  
mentationem.  
Ex clangore  
Buccinæ.

Iueris, sicut fecisti de prima Medicina; tantam virtutem recipiet una pars secundæ Medicinæ, quantam habuit una pars primæ Medicinæ (sed debet sic legi, tantam virtutem recipiet una pars secundæ Medicinæ, quantam habuerunt centum partes primæ Medicinæ) sic enim per solutionem, & fermentationem poterit Medicina multiplicari in infinitum.

Riplæus.

Ultimò his concordat Georgius Riplæus noster in libro 12. Portarum, volens multiplicationem spiritualement fieri debendam sic per fermentum, & illud postea projiciendum, ad fermentationem corporalem.

De hujus multiplicationis modo plura scribere vanum erit, quoniam cæteri omnes huic assentiuntur Philosopho, ita ut satis superque de his declaratum fuerit.

Multiplicatio corporalis.  
Raymundus.

Ad alterum igitur augmentationis modum nos conferamus; qui multiplicatio corporalis dicitur, & secundum Raymundum sic definitur: Augmentum est præexistentis quantitatis additamentum.

Avicenna.

Undè scribit Avicenna: Grave etiam est super mille millia projicere, & illa incontinenter penetrare. Quare vobis unum magnum secretum tradam. Commiscenda est una pars cum mille partibus corporis vicinioris (corpus illud vicinius dicimus, quod est ejusdem metalli corpus, de quo Medicina conficitur) & hoc totum claude in uno vase firmiter & apto, & ponendum est illud in furnum fusionis per tres dies, donec inseparabiliter fuerit totum conjunctum.

Unde latius, & melius dicitur ab eodem authore: Modus autem operis est iste, ut projicias partem unam Medicinæ prædictæ super partes centum auri fusi, & facit ipsum frangibile, & totum erit Medicina: cujus una pars projecta super centum cujuslibet metalli fusi, convertet ipsum in aurum optimum.

Projectio omnimoda.  
Ex scala Philosophorum.

In Scala Philosophorum de omnimoda projectione paucis verbis sic habetur: Sciendum est, quod prius dicitur projice; id est, pondus unum super mille, & c. Melius tamen est projicere nunc dimittis super fundamenta, & fundamenta super verba mea, & verba mea super diligam te Domine, & diligam super attendite.

Ænigma

Ænigma hoc breve si declaretur, nihil aliud existit, nisi prioris authoris verba, & sententia sub ænigmate conclusa. Repetamus itaque ænigma, sive oraculum.

1. Nunc dimittis super fundamenta :
2. Fundamenta super verba mea :
3. Verba mea super diligam te :
4. Diligam te super attendite.

Nugæ sunt ad perfectionem artis studiosè celandam, si verbis adeò simplicibus expertus artista diverti potuisset: quæ quanquam primò Philosophantibus dura esse videantur, tamen sic explanare oportet. Ad primam itaque sententiam sic accedimus.

Nunc dimittis super fundamenta. Per quod significatur, verbum penè ultimum preces audientibus, sive fundentibus. Hic enim allegoricè accipitur pro penultimâ operis actione, quæ Lapis, seu Medicina dicitur. Quæ Medicina projicienda est super Solis, vel Lunæ olea quæ in spirituali augmentatione sunt artis fermenta, & fundamenta spiritualia. Et fermenta ea, seu fundamenta in Medicinam conversa projicienda sunt super Solem, & Lunam, aurum scilicet, & argentum, quæ in augmentatione corporali sunt artis quoque fermenta, & fundamenta corporalia.

Fundamenta super verba mea. Hic etiam allegoricè eodem modo accipitur; quoniam adagicè dicitur, verba sunt venti. Quasi diceret quisquam: Verba nihil aliud sunt, nisi buccarum motus, & pulmonum exhalatio ex novem corporis instrumentis conflata, nec citius ex motu oriuntur, quàm in aërem effugiunt, & convertuntur. Pari modo, Arg: vivum, seu Mercurius sive naturalis sit, sive artificialis, qui per certa instrumenta ex corporibus, seu metallis exit, tam volatilis in igne sive calore existit, quàm prolata in buccis verba: idèò Mercurius verbis assimilatur, super quem fundamenta projicienda sunt.

Verba mea (nempè Arg: vivum) super diligam te; id est, Medicina ista projicienda est super ea metalla, quæ maximam affinitatem habent cum Mercurio, & facillimam fusibilitatem, uti plumbum, & stannum: quæ propter eorum amorem, dilectionem, & concordiam cum Arg: vivo in Medicinam etiam facile convertuntur per eundem Me-

dem Medicinæ penetrationem, & amicabilitatem. Cujus pars una convertet partes centum, vel mille aliorum metallorum in aurum, & argentum, secundum formam, vim, & penetrantem Elixeris potestatem. Quæ alia metalla, quoniam corporum priorum substantiæ sunt, ex quibus primæ generantur Medicinæ, nempe Lapides, earum medicinarum sunt attendentia. Quamobrem præcipit hic Philosophus, ut

4

Diligam te super attendite projiciatur; id est, hæc ultima Medicina super illud metallum præcipuè, de quo prima medicina erat composita, ut illud in aurum, vel argentum convertat, secundum Medicinæ proprietatem, & qualitatem. Et sic tibi verè explanantur hujus ænigmatis verba.

Arnoldus.

Sed ut finis huic projectioni imponatur, erit secundum Arnoldi Sententiam ex libro 2. Rosarij sui collectam & ex capitulo 31. Qui jubet projicere partem unam Elixeris corporalis super partes centum Mercurij purgati, & abluti, & fiet totum Medicina. Deinde projice partem unam Medicinæ istius congelatæ super alias partes centum Mercurij abluti, & fiat totum Medicina. Postea pone unam partem istius Medicinæ ultimò congelatæ super alias centum partes Mercurij abluti, & fiet totum aurum, & argentum perfectum, & purum, secundum quod primum fuerit Elixer album, vel rubeum præparatum, & compositum.

Projectionis  
recapitulatio  
brevis.

Deniq; ut breviter recapitemus absolutum projectionis modum; Medicinæ primò projiciendæ sunt super fermenta sua. Deinde super aurum vel argentum fusum. Postea super Arg. vivum, quousq; illud in Medicinam convertet. Ultimò super metalla propinquiora, ut in aurum purum, vel Lunam convertantur, secundum proprietates, & qualitates Medicinæ.

Propinquitatis  
metallo-  
rum.

Quia de metallorum propinquitate loquuti sumus, nempe quod Elixer projiciendum est super corpus illud imperfectum, è quo ejus Mercurius, & sulphur priùs erant abstracta, ideò hîc de ea proponamus exemplum; verbi gratia, si Medicina è Mercurio efficiatur, tunc super Arg. vivum projicienda est ad aurum, vel argentum faciendum, quoniam Arg. vivum est corpus Mercurio propinquius: & sic de cæteris.

Notan-

Notandum tamen est, quòd omnia Elixera & possint, ac debeant super Arg. vivum projici: quia Arg. vivum est mater ac sperma omnium metallorum. Arg. itaque vivum in Medicinam factum, & conversum projiciendum est super corpus ei vicinius, quod plumbum, vel stannum est, super quæ, Medicina, sivè fuerit alba, sivè rubea, semper projicienda est ad metallum transmutandum.

De purgatione, seu depuratione Argenti vivi in opere Mercurij satis prius diximus. De plumbi etiam, & stanni repurgatione in opere Veneris sufficienter egimus: ad quos libros lectorem referre decrevimus. Prius enim tam Arg: vivum, quàm plumbum, & stannum purganda sunt, ut à sordiditate suâ deparentur, ac depriventur, sicut latius patet in dictis libris. Quàmobrem nota; quod unumquodque Elixer projicere oportet ad metalla facienda super Arg. vivum, aut super plumbum, vel stannum.

Arg. vivi purgatio.  
Plumbi, & stanni repurgatio.

Sed ut adhuc projectionis modus magis innotescat, & dilatetur, duas tibi regulas enarrabimus, & apprimè caveto, ne eas obliviscaris.

Regulæ duæ observandæ.

Quarum prior est, ut pars una fermenti projiciatur super tres partes Medicinæ (seu Lapidis) & pars una istius Medicinæ super partes centum auri fusi, vel Lunæ; & una pars medicinæ sic confectæ super centum partes corporis imperfecti, præcipue verò Mercurij ad Medicinam.

Posterior est, ut semper animadvertas debilitatem tuæ Medicinæ. Nam toties projicienda est super Arg. vivum, quoties illud in pulverem, seu medicinam frangibilem fortiter rediget. Quod cum facere desiverit, tunc projice partem ejus unam super plumbum, aut stannum, ut metalla fiant, secundùm ordinem, & formam Elixerum. Hisce nunc bene concipere potes ordinem, & modum augmentationis cujusque in virtute, & in quantitate.

*TABULA, SIVE RAMUS ARBORIS  
Philosophica explanans intentionem Philosophorum, cum de decimo loquuntur  
numero, in quo opus ultimandum est; ac etiam miraculosum  
ostendit secretum Lapidis anima-  
lis.*

Ut ad finem perducatur ultimum istius libri caput, in quo declarandum est, quid sibi ipsis Philosophi volunt, cum opus in decimo numero finiri jubent, hoc modo id intelligendum est. Sicut enim ex Hyle quatuor sunt divisa; sic ex Hyle, sive Chaode Metallorum. Quia cum metalla, seu corpora in liquorem solvuntur, in uno tunc continentur numero (quod corporis est solutio) ex quo secretiori distillatione fiunt duo, nempe cælum, & terra, seu menstruum, & sal. Quod infundo remanet, terra est, sive sal; quod distillatur, & per Alembicum superat, menstruum est, & cælum.

Cum menstruum separatur, in tria convertitur, nempe in aquam, in aërem, & in ignem. Notandum tamen est, quod aër, qui aquæ est pars prior, aëream dispositionem continens, quanquam sit in forma aquæ, tamen pro aëre reputatur, & post perfectam ejus rectificationem est Mercurius tingens, & spiritus metallorum albus. Sic de oleo quoque considerare debemus; quod quanquam non sit ignis in forma, sed liquor, tamen propter adurentem ejus caliditatem, & ignitum calorem dicitur ignis. Et sic habentur unum, duo, tria.

Cum horum trium sit conjunctio, nempe aëris, & aquæ cum suo sale, in putrefactione hæc tria uniuntur in una quinta essentia, & fiunt in unum corpus novum, in quo tria uniuntur in uno sulphure, quod verissimus est Philosophorum Mercurius. In creatione hujus sulphuris albi rotam Philosophorum semel pertransivisti.

Sed ut opus in decimano perficiatur numero, si his tribus in prædicta unitate conclusis, & postea rubificatis, adderetur ignis, qui quartum est elementum, tunc quatuor ista si nova conjunctione putrescant in lento cinerum igne, fiet Lapis. Nam in isto opere novos iterum mutat colores, & in Lapidem rubeum convertitur. Et sic hoc pacto quatuor in unum conjunxisti: nam 1. 2. 3. 4. decem efficiunt.

Proj  
reca  
brev

Rota Philo-  
sophorum  
prima.

Pro  
tas  
rum.

Rota Philo-  
sophorum  
secunda.

ciunt. Et sic finitus est Lapis in decimo numero; & etiam sic Philosophorum rotam bis per transivisti, teste Riplæo Anglicè sic scribente.

But yet againe two tymes turne about thy wheel.

Id est; Nihilominus bis adhuc tuam rotam circumdes, oportet. Sic transtulit Nicholaus Barnaudus Gallus medicus Delphinus.

Iterum cum igne, sive anima solvendus est Lapis, & desiccandus, donec penetret, ac fluat: postea cum oleo Luminis rubei fermentandus est in Elixer. Et sic Philosophorum rotam ter pertransivisti. Tunc enim Medicina tertij ordinis dicitur.

Rota Philosophorum  
tertia.

De hujus solutionis modo Riplæus Anglicana sua carmina scripsit, docens resolutionem Lapidis albi, & rubei, antequam fiat Elixer transmutans, vocans hos duos Lapides, suas Bases.

Do, as I bidd thee, then dissolve these foresaid Bases Wittilie;

And turne them into perfect oyles wth our true water ardent:

By circulation yt must be done, according to our intent.

These oyles will fixe crude Mercurie, and convert bodies all

Into perfect Sunne and Moone, when thou shalt make projection.

That oylish substance pure and fixt Raymund Lullie did call

His Basiliske, of wch he never made so plaine detection.

Id est; Fac, sicut te jubeo, & cautè dissolve has Bases prædictas & converte illas in olea perfecta cum nostra aqua vera, & ardente; quod per circulationem fieri debet secundum propositum nostrum. Hæc olea figent Mercurium crudum, & corpora convertent omnia in perfectam Solem, & Lunam, quando projicies. Hanc oleagineam substantiam puram, & fixam Raymundus Lullius vocabat suum Basiliscum, cujus nunquam tam planam fecit explicationem. Idem.

Quibus carminibus facillè patet ejus Bases solummodò fuisse duo Sulphura, sive duos Lapides, quos ille alio in loco vocat suas mineras: quæ solvi debent cum sua aqua ardente, per ejus circulationem super Sulphura donec in Lapides efficiantur. Nam in hoc loco occipit & Spiritum, & Animam pro aqua sua ardente: volens, ut



Spiritus, & Anima administrentur secundum eorum, tingendi naturas ad Basis suæ resolutionem. Et sic explanata tibi dantur verba huius ænigmatis de decimo numero. Quod cum sit finis artis, ad finem reservavimus.

Restat tamen adhuc unicum Riplæi secretum revelare, quod à nullo antè eum Philosopho enarratum fuit unquam, modum scilicet efficiendi sulphur naturæ ex minera microcosmi, quæ est sanguis humanus. De quo totam Practicam scribit in suo libro 12. Portarum, sed præcipuè in sua Medulla; ubi magis apertè ejus præparationem, & opus ipsum docet sulphurisque creandi modum perfectum declarat. Quia autem nos verum esse probavimus, tantò fidelius illud enarramus: quia nihil ex proprio Marte scribere desideramus, nisi quod priùs probavimus.

Audies ejus Anglicana verba, quæ in 12. suis Portis scripsit, quæ in fine ejus libri sunt carmina propè ultima:

Idid never see true worke, trulie, but one,  
Of wch in this Treatisse the truth I have tould:  
Studdie there fore only, howe tho make our stones  
For thereby maist thou winn both siluer and gold.  
Upon my writings there fore to ground thee be bould.  
So stalt thou loose nought, if God be thy guide,  
Trust to my doctrine, and thereby abide.

Remember that Man is the most noble creature  
Of earthlie composition, that euer God wrought,  
In whom is of the 4. elements proportioned by natur  
A new trall Mercurialitie, vvch costeth right nought,  
Out of this Mine by arte to vs it is brought:  
For our metallis benought els, but our Mines tvvo  
Of Sunne, and Moone, vvislie Raymund said soe.

The clearnes of the Moone, and of the Sunne soe bright  
Into these tvvo Mines descended secretlie.  
Hovv beit that clearnes is hidd from thy sight,  
By craft thou shalt make id to appeare openlie.

This

Proj  
reca  
brev

Pro  
tas r  
rum.

This hidd stone, this one thing there foro puttrifie.  
 Wash hinn vvth his ovvne broath, till vvwhite he become,  
 Then ferment vvttilie: loe here is all, and summe.

Id est; verum opus, uno excepto, nunquam vidi, cujus veritatem in isto Tractatu patefecit: tantum ergo studeto, ut hos lapides nostros conficias: nam ita Argentum, & aurum lucraberis. Scriptis itaque meis tutò confide; ita enim nihil amittes, si Deus sit tibi propitius. Doctrinæ itaque meæ fidem adhibe, eamque sequere.

Memento hominem esse nobilissimam creaturam ex compositione terræ, quàm unquam Deus creavit; in quo est 4. elementorum proportionatorum per naturam neutralis Mercurialitas, quæ omnino nihili constat, producitur arte ex sua Minera. Nam nostra metalla nihil aliud sunt, quam nostræ duæ Mineræ nostri Solis, & Lunæ, ut Raymundus sapienter notat.

Splendor Lunæ, Solis lucidi in has duas Mineras secretè descendit, quamvis splendor sit absconditus tuo visui, arte potes efficere, ut appareat manifestè. Hunc lapidem absconsu, hanc unam rem puttrifica, lava in suo liquore, donec albescat; tum fermenta sapienter. Et sic habes summam hujus operis. Idem Barnaudus.

Ex his solummodò verbis duo colliguntur apices, ad quos tendit Author. Quorum primus est, ut sanguis humanus disponatur ad putrefactionem, ut sulphur creatur. Secundus ut sulphur cum ingenio fermentetur; ac si diceret, artifex illud præparet, ut aptum sit ad fermentandum. Sic de Theorica. Superest, ut paulisper hîc taceamus, donec ex Medulla Riplæi tota declaretur Practica.

Accipiendus est igitur sanguis humanus ex hominis sani vena extractus mense Martis, & ex homine Martiali, ut puto, quod Author intimat. Cum itaque emissus sit sanguis è vena, refrigerare finito, ut aqua viridis ab eo recoletur, quæ salinaria est. Nam quamdiu aqua illa salinaria cum sanguine remanet, is putrescere nolit; quoniam ea sanguinem conservat ab omni putredine, cum in corpore remanet sano.

Sanguinem sic præparatum repone in Ovum Physicum bene & firmiter clausum, & putrefactionem fac in balneo, donec 150. dies pertransiverint. In 40. diebus, vel minus, caput corvi apparebit, &

fic deinceps per totum usque ad albedinem, uti sæpius prius diximus in aliis opusculis.

Sulphur tuum album sic genitum in duas partes divide, unamque serva pro Lapide albo. Alteram verò rubifica pro opere rubeo. Et sic habebis tuas duas Mineras; de quibus sic dicitur:

For our metalls are nought els, but our Mines tyvo  
Of Sunne and Mone ivvislie Raymund said so.

Id est; ut supra: Nam nostra Metalla nihil aliud sunt, quàm nostræ duæ Mineræ nostri Solis, & Lunæ, ut Raymundus sapienter notat. Et sic deinceps ad finem carminum.

Jam habes tua duo sulphura præparata; si philosophus sis, ad ultimationem procede, & opus conclude in decimo numero, & da Sulphuri Mercurium suum, ut absolvatur opus: Sin minus ad nostram philosophiam minimè natus es.

Nota; quod Sulphur Philosophorum non est minerale, aut metallicum sulphur, de quo metalla sub terra oriuntur, sed est sulphur depuratum per artem ex metallis extractum, & prolicitum super terram, de quo & de corporis Mercurio oritur lapis.

### CONCLUSIO OMNIBVS NOSTRIS SEX LIBRIS

*Alchymicis prius editis æquè, ac huic, inserti-  
viens.*

**S**ic filiis, fratribus, & lectoribus aperuimus & tradidimus omnia antiquorum Philosophorum secreta; quorum scripta præcipuè erant edita, hanc artem potius abscondere, quàm illam docere, aut manifestare. Quanquam enim Hermeti dicere placuit, & protestari, quod nunquam aliquid hujus artis aut docuisset, aut prophetasset, nisi ad animæ suæ periculum euitandum, ut veluti ex Authore fidei donum fidei recipisset, sic illud fidelibus relinqueret: tamen cum ejus scripta legeris sive in Tabula sua Smaragdina, sive in Apocalypsi, sive in 12. Capitibus aureis, & nihil in eis apertum inveneris, quid de tali authore, quæso, senties?

Mihi credite, quod omnes antiqui præparationum secreta in opere grosso celarunt; quanquam de philophico uberrimè scripserunt.

Pro  
reca  
brev

Pro  
tas  
rum

runt. Ideò nos operam dedimus, experiri. Nam ex eorum libris invenimus, quod Elixer effici possit ex Planetis, sive Metallis, ac etiam ex mediis mineralibus, quæ ad metallicam naturam magis appropinquabant. Tum plura perlegentes, tandem invenimus methodum quandam inter omnes, quasi uno consensu depositam hoc modo.

Primò, & principaliter, ut corpora non corporea redderentur, nempè ut discorporarentur, vel discomponerentur, & in liquorem reducerentur, quem Hylen, sive Chaos nominarunt.

Secundò, ut ex Chaodica substantia, quæ unum quiddam est, elementa tria seperarentur, & depurarentur.

Tertiò, ut elementa separata, & depurata conjungerentur, mas, & foemina; cælum & terra, infinitis nominibus sic vocata, ut ignari ea diversa fore sentirent, quæ solummodò nihil erant aliud, nisi aqua & sal; Mercurius albus, aut rubeus & terra: quæ simul conjungebant, ut in putrefactione corpus crearetur ex imitatione creationis novum, ac purum, infans scilicet microcosmicus, seu sulphur naturæ.

Quartò, ut lacte pasceretur; & postea per fermentationem nutritus, ad perfectum robur cresceret.

Hisce itaque edocti, ad Practicam nos conferimus, & in unaquavis corporis, aut spiritus Practica diversos invenimus errores: sed plura legentes, & plura probantes, tandem modum invenimus omnia corpora solvendi, separandi, & conjungendi, eorum invenientes compositionem secretissimi secreti, nempè Lactis Virginis, sive Aceti acerrimi, & Aquæ Raymundi calcinativæ: cum quibus omnia corpora ad placitum dissolvebamur, & grossum perficiebamur opus.

Quamobrem decrevimus, inusitato Philosophorum more, totam aperire opus, ne cum eis invidi, alicui essemus erroris causa. Nostri itaque, quæ verè, & apertè scripta sunt, sua addidimus, eaque simul in unam conjunximus methodum, ut Artista posthac nullos unquam alios egeat legere libros Alchymicos præterquam nostros. Nam in eis omnia ea continentur, quæ apertè à Philosophis scripta inveniuntur, & etiã quæ experientia sunt vera reperta à nobis.

Haud

Opus grol-  
sum.

1

2

Philosophi-  
cum.

3

4

Haud latet, credite nobis, aliquod in arte Spagyricâ, sive Alchymica secretam, quod non veraciter in eis enarratum, & plane & habes, Lactis Virginis, sive Aceti Philosophorum arcano exdocept. Totam artem jam traditam habes, qua, Deo annuente, sine errore ad ejus finem pervenies.

Sed ut ea certius memoriæ committantur, quæ in eis dicta sunt, partium generalem processum recensemus, sicut in Arbore generali ad principium libri de Mercurio redivivo, ac etiam in Martis opere describitur. Quoniam autem Luminum, & corporum non est una, sed varia tractatio, ideò Arbor in tres partes, seu Ramos dividitur. Quorum medius imperfectorum metallorum processum describit ad lapidem. Alteri duo perfectorum metallorum præparationes docent ad fermentandum Lapidem corporum imperfectorum.

Modus præparandi corpora imperfecta.

1. Calcinatio corporum.
2. Solutio in Hylem.
3. Separatio Hyles per distillationem.
4. Conjunctio separatorum ad putrefactionem.
5. Putrefactio conjunctorum ad sulphur.
6. Sulphuris præparatio ad fermentationem.
7. Fermentatio ad Elixer.
8. Elixeris augmentatio in virtute.
9. Elixeris augmentatio in quantitate per projectionem.

Faciunt aliqui 12. partes; sed tres alij gradus in his continentur.

Fermenta reiterare, fastidiosum esset; quoniam una est utriusque via sive albi, sive rubei; una igitur sufficiet ars.

1. Calcinatio.
2. Solutio.
3. Putrefactio.
4. Sulphur.
5. Sulphuris solutio.

Fermentum rubeum. Aurum Potabile. Quinta essentia. Elixer vitæ rubeum.

Oleum

Oleum incombustibile Solis, seu Luminis rubei.  
 Sic quoque de argento dicetur, cum præparatur  
 Fermentum album, Argentum Potab. Quinta essentia. Elixer  
 vitæ album.

Oleum incombustibile Lunæ sive Luminis albi.

Jam oritur tibi Sol relucens, quo fugatas invenies tenebras; ænigma-  
 ta hîc aperiuntur, tribuli, & spinæ scinduntur, ac uruntur. Tute jam  
 possis, Lector, Philosophiæ hortos perambulare, & celeberrimos,  
 ac saluberrimos fructus in eis colligere. Hîc rosæ crescunt fragran-  
 tissimæ tam albæ, quàm rubæ. Hîc nascuntur vites, uvas portan-  
 tes uberrimas, è quibus fit Nectar salutiferum. Hîc arboris ramife-  
 ræ inveniuntur scientiæ, sanitatis Rami, & locupletissimi copiarum  
 Rami, Solis, & Lunæ, auri scilicet, & argenti. Hîc scientiarum, &  
 cognitionum oriuntur fontes refrigerantissimi, per hortum artifi-  
 ciosè paratum, fluentes super pretiosissimas gemmas, & arenas au-  
 reas, ac argenteas. Hîc habes à Deo tibi retributum novum Paradisi  
 campum, ut, durante vita, ejus electi ab ægritudine conserventur  
 in sanitate. Hîc natura corrupta incorruptam induxit: hîc impura  
 in puriora vertuntur. Hic denique morbi perduntur omnes, & salus  
 crescit. Hîc perfectissima corporis unitas, & harmonia inhabitat,  
 & hîc manet omnis excellens thesaurus. Ideò Deo semper agamus  
 gratias pro tam rarissimis suis donis, illum colentes, illi obedientes,  
 illum amantes, illumque deprecantes, ut super nos gratiam suam  
 stabiliat, & ut in æternum nos conducat per omnes suas vias

bonitatis, scientiæ, & fidei in vitam æternam,  
 Amen.

F I N I S.

C

Oritur

Oleum

Sol Dispergere.

Oritur  
Tenebrosas


Philosophorum  
Nubes.



Pro  
reca  
bre

Pr  
tas  
rum

orum







Pro  
rec  
bre

P  
tas  
run

